

(nam hoc nescio que profana sacramenta impediunt), veruntamen ut omnia nutu ipsius et consilio transigantur. Ipsa^g quidem in primis hanc molem oppido recusare idque inceptum eorum mirabunda adversari, sed tamen, ut mos est feminis, immo ut Ovidius muliebris facilitatis optimus interpret ait¹: 'tandem dubitare coacta est'. Igitur dilatum est usque Radasponem; ibi quod suorum fidelium deliberatio statuerit, se executuram spondit. Et certe, ut ille ait²: 'vereor, quo se Iunonia vertant Hospicia.' Sed quid ago, que me rapit dementia? Tu secundum apostolum³ ea, quę retro sunt, oblitus et in ea, que inante sunt, extentus brachium superne vocationis persequeris, et ego quasi stimulus Sathane te huiusmodi rerum memoria et inculcatione colafizo, ego inquam, qui tociens tam inportunus, nonnunquam acerbis monitor fui, ut te promoveres in Ierusalem, in illam Ierusalem, cuius participatio est in id ipsum⁴, id est in Deum, qui idem ipse est. O quam vellem, si fieri posset, psalmum hunc totum dulcissima tecum colloctione discutere et te, ut aiunt, currentem incitare! Sed o me miserum, o me calamitosum, qui tanta undique incurrentium cogitationum mole et impetu premor, ut quid agam, quo me vertam, penitus ignorem! Modo enim volo deplorare discessum tuum, sed hoc ociosum est, modo quę apud nos gerantur digere, sed hoc ineptum est, modo hortatorium aliquid tibi instillare, sed hoc mihi triste et luctuosum est. Denique illud Ovidianum patior⁵: 'Incipit et dubitat, scribit dapnatque tabellas Et notat et delet, mutat culpatque probatque, Quid velit ignorat, quicquid factura videtur, Displicet.' Ad hoc arguet me molestissima portitoris festinantia. Veruntamen ne per omnia ineptiis indulserim, velim te iterum iterumque monitum, ut summam salutis estimates hanc, ad quam pergis, vidisse Ierusalem, Herodis parricide regnum, Pilati deicide provinciam, Iude proditoris patriam. Profecto hæc 'littera occidit, spiritus vero vivificat'.⁶ Sed quonam modo? scilicet si singula loci ipsius sacratissimi monumenta, quibus ipse mediator Dei et hominum saluti nostre operando insignivit, spirituales vite excitent affectum sui presentia. Veneraris ibi Christum crucifixum: ipse carnem tuam cum viciis et concupiscentiis

23. g) Ipse c.

¹) Im *Thesaurus* s. v. *Cogere* fehlt die Stelle; es könnte sich um ein *Pseudo-Ovidianum* handeln. ²) *Aeneis* 1, 671. ³) Vgl. *Phil.* 3, 13 f.

⁴) Vgl. *Ps.* 121, 3. ⁵) *Metam.* 9, 522—527. ⁶) 2. *Cor.* 3, 6.